

L I T V A N I A.

incolunt, hyberno tempore in tuguriis oblongoribus non galeæ similitudinem referentibus ut multi tradunt, ac edocti aliorum, ut opinor, relationibus errant) habitant, ubi accensus focus in medio ardet, ad quem agrestes assident, jumentaque, greges, ac omnem domesticam supellecilem, licet non desint illis ampla fumaria, condunt. quod causa repellendi frigoris à jumentis, cum ibi intensum esse soleat, faciunt, ut testis est & Cromerus, de situ Poloniae lib. 1.

De origine autem Lituanorum, ac Lituaniae denominatione cum varie scriptores scribant, diversasque opiniones afferant, nos brevitati consulentes scribere prætermittimus, curiosum perquirendarum rerum ad Historicos remittentes, utpote Michovium lib. 4, cap. 39, & lib. 2, cap. 2, de Lituania. Iodocum Decium de Jagellonum familia, &c. sed de his satis, nunc ad mores modernorum Lituanorum transferamus.

Mores.

Lituani gens plurimis gaudens libertatibus, ad comitatem, civilitatem, & hospitalitatem prompta, ut ignotos non modo libenter suscipiant hospitio, sed etiam invitent, & omnibz benevolentia prosequantur. ad morum imitationem eorum cum quibus vivunt, exterritorum præsertim, flexibilis: equitatu in bello præstant. equis generosis ad bellum, non iis parvis, ac debilibus (ut quidam scripsit) qui non nisi ad laborem domesticum sunt destinati, utuntur, nam greges equorum excellentissimos ex Italia, Germania, Turcia collectos & adductos, aliqui ex magnatis, sumptibus non parcendo, habent. Arma Polonorum more gestant, bellum semper gerunt, nunquam tamen, nisi lacefitti, non in sola hyeme, ut historiæ ab extraneis tanquam status provinciæ ignaris editæ referunt. Lituanis vestitus satis est pomposus, quo illi neque uno neque certo utuntur, vietus laetus, mensa præter pecudum & aliorum animantium aviumque domesticarum carnes, altilibus & feris animalibus piscibusque, additis variis aromatibus & aliis ferrulorum condimentis, instruitur. Potus ex melle, aqua, & lupulo confectus: qui cum succo ex cerasi expresso, & variis aromatibus, in domibus præsertim Satraparum, ad ceterum & plures annos asservatus & conditus, dulcedine & sapore suo vinum Malvaticum superare videtur. Vini quoque usus non ita pridem adeo inolevit, ut eo nunc vulgus etiam ipsum in

conviviis utatur, quod ex Hungaria curribus, Hispania vero, Gallia & à Rheno Regiomontum & Rigam, illinc postea in Lituaniam navibus apportatur. Agrestes humiliter & parce vivunt, panem nigrum comedunt, oleribus & carnibus pecudum, quorum hic ingens copia extat, vescuntur, potus illis solennis est vinum crematum, cerevisiam quoque, & aquam mulsam, sed rarius, in usu habent.

Lituani fidem Christi, abjecto impio dæmonum cultu, tunc suscepereunt, cum Jagello M. Dux Lituaniæ recepit in matrimonium Eduigim Reginam Poloniae, Cracoviæque à Bodzanta Archiepiscopo Cnefensi cum Vitoldo, Borysow, & Switrigelone fratribus germanis baptizatus est anno 1386, 14 Februarii (ubi federum & unitatis inter Polonos & Lituanos fundamenta jaæta fuerant) quorum exemplo nobilitas & plebs Lituaniæ adducta baptisatum alacriter suscipiebat, & eum semel suscepsum tandem tenuerunt donec hæreses nostra memoria ex Germania in Poloniæ inventæ, Lituaniam quoque infecerunt: Christiano tamen more in omnibus, ut cæteræ gentes Catholicæ vivunt, illorum autem antiquorum Lituanorum mores, de quibus Æneas Sylvius scribit, ita prorsus abjecerunt, ut vel jam degenerasse ab illis credendi sint, vel iis nunquam majores illorum præditos fuisse, id quod magis veritati consentaneum est, existimes. Igitur hic almus Ducatus renovatis & ampliatis antiquis federibus, anno tandem 1569 cum Regno Poloniae in unum Reipub. corpus, salvis suis juribus, & libertatibus (nam instituta & magistratus peculiares Lituani, eos videlicet quos & ante retinent) unanimi consensu, non propter metum, ut quidam insciæ autumant, penitus coaluit ac coniunctus est, & jam unita fœliciter utraque pars mutuo se se contra quosvis hostes juvat. Quibus de rebus si plura cognoscere velis, historicos consule, nos enim hic nisi ea quæ ad veritatem ostendendam & quorundam Historicorum falsa scripta refutanda pertinebant, breviter tibi exposuimus, & tu non alia quam ea quæ à nobis accepisti, si præsens adesses, ipsem etiam adverteres. Interim vale, & hanc tantam excellentissimi Duci operam, in eaque continuanda maximam diligentiam & expensas, nostrum autem licet exiguum laborem benevolentia prosequaris. Vale & fruere.